



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Eidem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

Vide infra epist.  
34.

cio fungeretur, & ad ejus audientiam per-  
venisset quod archidiaconatus Veronensis  
Ecclesiae tanto tempore jam vacaverat  
quod secundum Lateranensis Concilij de-  
creta ad nos ejus erat donatio devoluta,  
ipse dilectum filium G. Subd. nostrum Ca-  
nonicum basilicæ beati Petri Archidiaco-  
num Veronensem instituit, & . . . Cleri-  
cum de eodem archidiaconatu ipsius no-  
mine investivit, tibi & Clericis Veronen-  
sibus literis suis districte præcipiens ut ip-  
sum G. in Archidiaconum Veronensem re-  
cipere ac omnia quæ ad archidiaconatum  
spectabant ei curaretis in integrum assig-  
nare. Vos verò credentes vobis super in-  
stitutione hujusmodi non modicum grava-  
men inferri, nuntios vestros ad sedem apo-  
stolicam destinatos misistis, rationes mul-  
tiplices proponentes quare prædicta Car-  
inalis institutio facta de Archidiacono  
non teneret. Vnde nos inquisitionem to-  
tius negotij venerabili fratri nostro Ferrai-  
ensi Episcopo & dilectis filiis Abbatii de  
Vangadicia & Priori sancti Salvatoris de  
Ficarol. duximus committendam, apo-  
stolica ipsis auctoritate mandantes ut at-  
testationes utriusque partis redactas in scrip-  
tis sub sigillis suis nostro apostolatui desti-  
narent, præfigentes vobis terminum quo  
recepturi sententiam ad nostram præsen-  
tiā veniretis. Ipsi verò juxta mandatum  
nostrum in ipso negotio procedentes, re-  
ceperas attestationes utriusque partis no-  
stro apostolatui direxerunt, ac tu cum  
quibusdam Clericis Veronensibus pro ip-  
suis decisione negotij ad nostram præsen-  
tiā accessisti. Cumque super ipso nego-  
tio fuisse coram nobis aliquandiu discep-  
tatum, mediantibus tandem venerabili  
fratre nostro Octaviano Episcopo Ostiensi  
& dilecto filio Petro tituli sanctæ Cæciliae  
& Iohanne tituli sanctæ Priscæ Presbyte-  
ris Cardinalibus causa eadem de licentia  
nostra fuit per arbitrium terminata. Ve-  
rū ne te vel successores tuos, ceterum vel  
Ecclesiam Veronensem contingat aliquan-  
do super hoc indebet molestari, auctorite-  
te præsentium districtiū inhibemus ut  
absque speciali mandato Romani Pontifi-  
cis, quod etiam non sit per suppressionem  
veritatis aut expressionem falsitatis elici-  
tum, circa institutionem Archidiaconi vel  
ordinationem archidiaconatus Ecclesiae  
Veronensis nullus omnino procedat, nisi  
forte Veronensis Episcopus & ejus capitu-  
lum unanimi consensu canonice duxerint  
procedendum. Quod si contra formam

hujusmodi cujuscunque fuerit temeritate  
processum, nos quod taliter fuerit atten-  
tatum decernimus irritum & inane. Nulli  
ergo &c. prohibitionis & constitutionis  
infringere. Datum Laterani VI. Idus  
Maij.

*Eidem.*

**T** Va nobis fraternitas intimavit quod  
quidam Abbates, Piores, monachi,  
& alij Clerici Veronensis diocesis nimis  
dissolutè viventes, non verentur multa tur-  
pia perpetrare & lucris illicitis inhærere,  
quibusdam etiam, quod deterius est, ma-  
culatis hæretica feeditate, quorum mali-  
tiam detestandam si quando juxta debi-  
tum pastoralis officij extirpare labores, ut  
liberiùs in malitia concepta perdurent, vo-  
cem protinus appellationis emittunt, ut  
ita imposito tibi silentio, canis mutus non  
valens latrare dicaris & fautor etiam vi-  
tiorum. Quare indulgeri tibi suppliciter  
postulabas ut non obstante contradictione  
vel appellatione cujuslibet, in eis posse  
talia emendare. Nos igitur tibi tanquam  
fratri carissimo, quantum justitia finit, de-  
ferre volentes, ne hujusmodi prætextu ma-  
leficia quæ publicè interest puniri, rema-  
neant impunita, fraternitati tuae auctorita-  
te præsentium indulgemus quatenus  
cùm appellationis remedium non ad de-  
fensionem iniquitatis, sed ad subsidium  
innocentia fuerit institutum, si præmissi  
excessus & similes in his qui diocesana sunt  
tibi lege subiecti fuerint manifesti, cùm  
secundum traditiones canonicas accusa-  
tione non indigent manifesta, in eos qui  
talia perpetrarent provocacionis obice  
non obstante rigorem exercere judicarium  
non omittas. Si verò adversus aliquos Cle-  
ricorum prædictorum super non manife-  
stis criminibus quæstio coram te fuerit in-  
tentata, semoto appellationis diffugio, si  
qua interposita fuerit in elusionem ecclæ-  
siasticæ disciplinæ, per distinctionem ec-  
clæsiasticam hujusmodi poteris coercere.  
Nulli ergo &c. concessionis &c. Datum  
ut suprà.

*Eidem.*

**T** Va nobis fraternitas intimavit quod  
laici Veronensis diocesis, viri etiam  
& feminæ, nimis dissolutè viventes, non  
verentur quæque turpia perpetrare, qui-  
busdam maculatis hæretica feeditate, non  
nullis, adulteriis & usuris, aliorumque cri-  
minum generibus variis & diversis, quo-

Epist. 31.  
Adversis im-  
probis appelle-  
tationes.  
Vide Raynal-  
dum ad 28.  
1102, §. 7.

Epist. 33.  
Do codem 27-  
gumento.